



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 20. Ejusdem Mysterii punctum 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO XX.

De Circumcisione. Luc. 2.

Myft. punct. 3.

CONG. ut dictum antè.

PRÆL. I. Redditus est matri suæ puer, quæ illi compatiebatur de sanguinis visâ effusione.

PRÆL. II. Hærendum adhuc in speluncâ Bethleëm.

PRÆL. III. Petere, ut cum B. Virgine, dolori Christi compati possimus.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Aspicere B. Virginem antè factam Circumcisionem.

INTEL. Consideremus in illa sollicitudinem adimplendi legem, quamvis sibi gravem, & graviolem, quàm aliis matribus, ob majorem dilectionem erga Filium, habebat tamen donum fortitudinis à Spiritu Sancto, ut hæc omnia postponeret voluntati, ac legi Dei. REFL. Cogitemus quàm leve sit, cui nos cedimus, & cui postponimus Legem, & Regulas nostras.

VOL. Humiliemus nos propter tantam ignaviam, & sequamur exemplum, & fortitudinem Virginis Matris.

PUNCTUM. II. VERBA. MEM. Audire B. Virginem offerentem Deo futuram Filii sui circumcissionem, quantumvis sibi sensibilem.

H 2

IN-

INTEL. Credibile est B. Virginem his aut simili-
bus verbis Deo locutam esse : *Tribulatio, & angustia invenerunt me : mandata tua meditatio mea est.* Ps. 118. REFL. Nos dum molesta aliqua Regula adimplenda venit, toti hæremus in cogitatione tribulationis, & angustiae; ad meditationem mandati non progredimur.

VOL. Agnoscamus culpam nostram, & exemplo B. Virginis legem Dei potius meditemur, quàm adjunctas molestias.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Post Circumcisionem, compatiēbatur Mater Filio de sanguinis effusione.

INTEL. B. Virgo, cum Josepho, & totâ familia erat in luctu, & dolore, compatiendo doloribus Christi, ut discamus, si proximè Christo adhærere cupimus, & de familiâ ejus esse, quod debemus, cum eo laborare, dolere, pati. REFL. Examinemus nos, an simus de familia Christi cum MARIA, & Joseph; an scilicet Christo compatiemur.

VOL. Offeramus nos Christo, sicut in Consecratione templi Regni Christi fecimus, ad illum sequendum, in iisdem laboribus, casibus, & cæteris omnibus, in quibus illum viderimus præcedere; & ad compatiendum prompti simus.

COLLOQ. Ad Josephum, B. Virginem, Christum circumcisum, & Deum Patrem, petendo gratiam, & donum fortitudinis, ad Crucem cum ipso ferendam, quam ab Infantiâ nunc cœpit ferre
RECOLL.